

F.K. 68.

X 21254 A 7

17

Z e  
6890

# PROGRAMMA

IN FVNERE

MAGNIFICI ATQVE EXCELLENTISSIMI

VIRI

# GEORGII ADAMI STRV VII

Hereditarii in VVanzleben & VVenigen - Iena, iurecon-  
sulti, consiliarii Saxonici, vt & Hasso-Darmstadiensis intimi,  
illusterrimi tutelaris quondam Regiminis Saxo - Ienensis,  
facrique Consistorii præsidis, in Academia Ienensi antecesso-  
ris, itemque Curiæ prouincialis assessoris primarii, Faculta-  
tis iuridicæ & Scabinatus Ordinarii, viri longe celeber-  
rimi, totius academiæ senioris

(Inquit id h. d. XVI Decembr. A. M. DC XCII)

PLACIDE DEFVNCTI

P. P.

37



IENÆ

Literis IO. ZACH. NISI.





## EORGIVM ADA-

MVM STRVIVM , illustre ac  
venerandum eruditio orbi nomen,  
duodecimus iam dies est , quod ci-  
uilis ac litteraria respublica amisit.  
In cuius vnius viri, quamuis sero ex-  
cessu , erectum sibi lugent magni  
Principes senatorem, academia hæc  
antecesorem, cetera quæ apud nos

florent, dicata iuris oraculis collegia, præsidem aut asessorem,  
exteri pariter ac ciues interpretem diuinarum humanarum-  
que legum, vt & iustitiæ antistitem longissime eminentem.  
Concidit fatali iœtu ( liceat enim oratione vti altius exaggera-  
ta , & comparatione , quæ tantæ iacturæ haud sit impar )  
concidit excelsa atque annosa cedrus, amans iugorum arbor,  
vrbisque huius, montibus suis celsioris, honos ac gaudium:  
quæ quum in remotissima loca fragrantem huc vsque odo-  
rem diffudisset, præsentes non adspectu modo sui iucundissi-  
mo, & luctante cum æui iniuriis frondium vigore, sed sola  
vmbra etiam recreabat. Concidit breui momento, ruinaque  
sua circumagit in se omnes, sacrum Themidos palatum, tot  
annorum molimine in magnitudinem illam euectum; nunc  
vincentis cuncta ætatis exemplum illætabile, posteritati solis  
ruderibus suis spectaculo futurum. Nos vero in communi  
luctu quid aliud agamus, quam vt memoriam viri maximi, cui  
non ob bene promerita modo in humanum genus, sed priuatim  
variis nominibus obstricti sumus, qua licet, colamus ac conser-  
uemus? cum primis dum suprema ei persoluuntur a suis, no-  
strum

strum non patiamur officium desiderari. Natales etiam, moresque viri ac facta, nec non variam, ut solent humana, sortem, publica fide enarrari, tam interest vitæ, quam mos academiæ postulat, certatimque eruditii flagitabunt. Vnde uicesimus huius saeculi annus voluebatur, quum vitale lumen primum hauriret sublime hoc decus iurisprudentiæ, patre viro nobilissimo, BARTHOLDO STRUVIO, Hereditario in Wanzleben, iureconsulto & consiliario archiepiscopali Magdeburgico, iurisdictioni & rebus molendinariis præfecto. Matri, matronæ virtutibus sui sexus ornatisimæ, e clarissimaque FOMANNORVM familia oriundæ, nomen suit MARGARITAE BRVNNE-RIAЕ. Quam BRVNNERORVM prosapiam, cui per nuptias mater innexa fuerat, honoribus quoque & claritudine iamdiu floruisse constat. Patria nostri *Magdeburgum* erat, vrbs ampla & varie exulta: quam si cetera deessent, quibus olim præcipue commendabatur, & caput attollebat, sola misericordia excidii diritas, nativitatem nostri paucorum interuallo annorum subsequuta, satis illustraret. In quam patriæ suæ calamitatem, ne ipse quoque incideret, factum est consilio suorum, & haud dubie Dei numine, ut iactis apud suos pietatis ac litterarum fundamentis, vix undecim annorum puer Sleusingam mitteretur; in celebri, quod ibi est, gymnasio, inque sinu & contubernio cognatorum, sub optimo in primis iuuentæ formatore, *Andrea Reyhero*, cui postea Gothana schola magnam incrementorum suorum partem debuit, ad humanitatem fingendus. Exactis per omnia, quæ in hac ætate laudibus ferenda sunt, sex quasi annis, sedem ac magistrum grauiorum artium nactus est nostram academiam: pertrahente huc non fama duntaxat, & eruditione atque industria docentium, sed celeberrimo quoque iureconsulto, *Ortolpho Fomanno*: qui & ordinabat prudenter carissimi sibi capitis studia, & incensum ac flagrantem animum solida doctrina præceptisque instruebat. Quatuor fere annis explebat apud nos cunctas egregii, & tam morum quam ingenii cultum auide quærantis, partes, frequentando professorum scholas, & ab huius, ab illius ore dependendo: non ut superuacanea accessio fieret audiendum, fallendoque inertis otio subsellia calefaceret, mox erumperet atque alia omnia sectaretur, exedram docentium nunquam, aut rarissime reuisurus; sed ut vere excoleret animum

Sapientia atque eruditione, nec tam caperet ex aliis documenta, quam ipse exemplo foret. Institutum hoc & munia boni ciuis constanter seruans, domique monumenta doctissimum hominum peruvoluens, & noctis etiam horas Musis atque Astrææ impendens, quum paucorum esset sodalium, nec nisi bonos atque industrios eligeret, notior professorum ordini, quam commilitonum turbæ: illuc mature discendo exercendoque procedebat, vt commodante præsidium suum *Io. Michael Dilherro*, Noribergensium postea theologo clarissimo, elucubratam *De victoria & clade* dissertationem, ingenii primicias, & prolucentem maioribus operibus fetum, cum laude tueretur. Spectabat argumentum tristissima istorum facta temporum, cum quibus pariter hæc pacatarum artium officina conflictabatur, insidente & exactionibus, ac tandem rapinis, spoliante oppidum tam sociorum quam hostium militæ: quod malum tanto stabat nostro etiam, vt labefactata ex terrore valetudine, pæne exitiabili morbo corriperetur. Sed debebatur hæc indeoles egregio publico, vtque mutaret magistros & cælum, non mores ac studia, inclytam *Iuliam* academiam, ingentibus semper viris decoratam, antiquæ sapientiæ atque eruditionis propagatricem & æmulam, adibat; quod apud nos rectum institerat iter, ibidem feliciter persequuturus. Statim ab omnibus in fidem, inque amicitiam aut disciplinam; a *Conrado Horneio*, spectatissimi exempli viro, & Cleanthæa fruge, nobilique mentis pabulo suos assidue reficiente, in conuictum etiam receptus, ea breui tempore profectum edebat documenta, conscriptis ac defensis egregie doctissimis exercitationibus, vt quantum futurus esset reipublicæ ornamentum, ex gusto illo facile diuinaretur. Hinc & consultissimo iuris antecessori, *Henrico Hahnio*, & illustri viro, *Hermanno Conringio*, tam placebat vehementer, vt in exemplum aliis ostentaretur, alterque vicaria eiusdem opera in dictandis ad Wesenbecii Paratitla obseruationibus (neque enim facile adducebatur auctor, vt ipse viua voce iuuentutem doceret) vteretur. Sequebantur merito tantam sollertia summi, quos academiæ dare possunt, honores, & alia præstantium animarum præmia: ad quæ auspicali dissertatione, *De vindicta priuata*, viam sibi muniens, paucos post menses Hallam Saxonum euocabatur, assessoris in Scabinatu munus ibidem suscepturnus.

Prima

Prima hæc rudimenta erant negotiosæ atque exercitæ vitæ  
vixque annuo spatio vires ingenii & explorauerat, & toti col-  
legio dederat probatum, quum repente, suffragantibus Ly-  
cei nostri patribus, & serenissimorum auspiciis Principum, ad  
nos accerseretur, diuino consilio electus, qui non solis fori li-  
tigiis vacaret, atque in componendis priuatorum causis con-  
senseret, sed vt litterariam quoque pubem, delibatum flo-  
rem Germaniæ, tot procerum & honestissimarum familia-  
rum propaginem ac fulcra, plano ad iuris scientiam tramite  
ductum iret, præcipue beata illa scriptorum suorum luce  
cælum hoc ipsum, vt sic loquamur, academicum clarius fa-  
ceret. Quanta fide ab eo tempore (erat vero annus sæculi  
huius sextus & quadragesimus) quanto studio & successu,  
tum voce tum calamo partibus suis perfunditus fuerit, tetricæ  
disciplinæ molliendo asperitatem, & ipsi vulgo mysteria le-  
gum pandendo, non transscendens humilium quoque inge-  
niorum captum interpres; satis testari poterant concursus iu-  
uenum, acroases nostri cupidis auribus haurientium, & illa iu-  
ris ciuilis ac feudal is (vt cetera viri opera taceamus) solidissi-  
ma Syntagma, tanto applausu per totam Germaniam, &  
in vicinis regnis excepta, vt certatim in academiis versentur &  
prælegantur, eruditæ obseruationibus suis illustrent atque au-  
geant, ipsique Galli, genus fastosum & in suam duntaxat glo-  
riam effulsum, in vernaculum conuerterint sermonem. Et  
profecto, siue utilissimarum rerum copiam species, paucita-  
te verborum constrictam, siue ordinem ac methodum, siue  
perspicuitatem, tandemque & sententiarum veritatem: non  
temere inuenias ullum superiorum ac nostrorum temporum  
scriptorem, qui in omnibus paria cum nostro fecisset. Nata  
hinc tantâ passim STRUVIANI nominis æstimatio, vt cir-  
cumdaturi aliqui scripturis suis famam, in receptas vulgo sen-  
tentias, tanquam Struvianas, calamum stringerent; unus  
itemque alter, vitio suo non videntes, quæ videre poterant ac  
decebant, præcipiti ausu in dogmata nostri grassarentur. Ho-  
rum aliquos ne dignabatur quidem ira sua; aut aliena ma-  
nu repellebat: quibus vero ipse respondebat, ea tractabat cau-  
tione, vt mature liceret receptui canere; satis gnarus, hanc  
esse indolem istarum litium, vt gliscerent certando, postremo-  
que in maledicta desineretur, tam victori erubescenda quam

) 3

victo.

victo. Ceterum intelligentes celsissimi Saxonæ Principes, non solius cathedræ umbraculis, sed luci quoque ac splendori aularum nostrum esse genitum: sibi suisque rebus grauissimis decus hoc non semel vindicabant. Ergo in Vinariensem au-  
lam translatus, & illustri consiliariorum ordini adscriptus, itemque cameralium rerum summæ præfectus; ad extremum secretioribus etiam serenissimæ Domus consiliis admouebatur: eamque dignitatem ac munia aliquot per annos strenue sustinebat, donec euocato ad beatorum sedes præside Collegii nostri iuridici ac Scabinatus ordinario, iureconsulto magnifico, *Christophoro Philippo Richtero*, successor eidem, indulto ad vetera sua regna reditu, daretur. Heic vero, quamquam priore adhuc consiliarii intimi dignitate oneratus, & gemino Ordinarii antecessorisque muneri implicitus esset: magno tam  
animo & summi orum principum, & tum postulantum responsa iuris, tum iuuentutis academicæ votis satisfaciebat. Quin procedentibus etiam annis noua molestissimaque sparta grauabatur, illustrissimi tutelaris apud nos Senatus, vtque ho-  
die loquimur, regiminis, & sacri Consistorii præses creatus: nuperque adeo serenissimus Princeps Landgrauiusque Hasso-  
Darmstadiensis inter consiliorum suorum intimos clementis-  
sime eundem recepit. Ordinarii interim officio, arduo sane,  
plenoque periculi; quum sæpenumero non fortunæ modo,  
sed pretiosior fortunis omnibus fama ac vita, in vnius causæ  
momento vertantur; vsque ad fatalem illum diem, quo cæ-  
lo redditus est, constanter & impigre fungebatur: nec minus  
studiosæ pubi pro virili semper aderat, tametsi a professoria  
sparta vacationem aliquamdiu impetrasset. Eiusmodi ve-  
ro occupationibus inuolutus, quo securior de domesticis nego-  
tiis esset, matrimonio sibi iungebat ANNAM MARIAM  
RICHTERIAM, lectissimam virginem, laudati modo cele-  
berrimi iureconsulti, CHRISTOPHORI PHILIPPI RICH-  
TERI, Hereditarii in Löberschüz & Lobeda, comitis Palatini  
Cæsarei, consiliarii Saxonici, antecessorisque & Curiæ prouin-  
cialis assessoris primarii, Collegii nostri iuridici & Scabinatus  
ordinarii, filiam vnicam, piam illam, pudicam, fortunata-  
que. In quo plane auspicato & concordi coniugio, qua-  
tuordecim annorum spatio, beatus noster septem filio-  
rum & vnius filiæ pater factus est: quamquam ex filiis  
duo

duo tantummodo parentibus sunt superstites: *Io. Guilielmus*, vir amplissimus, & in Arnstadiensi aula a feudalium ac ciuilium causarum secretis; alter *Fridericus Augustus*, in auitis prædiis rem familiarem curans. *Georgius Christophorus*, optimæ spei adolescens, dum Altdorffii studiis operaretur, acerbo funere pridem elatus est: quem sequutus fuit octo abhinc annis *Io. Philippus*, medicinæ iam Doctor, practicusque nobilissimus, orbitatem magni genitoris relicta ex se nepte solatus. Reliquos adhuc teneros, vna cum filia vnica, properum fatum absuumsit. Non patiebantur perpetui atque increscentes nostri labores, postquam socia latorum ac tristum priuabatur, vt in cælibatu illo perduraret. Itaque reparatus feralia damna, & parte curarum humeros leuaturus, ex florentissima Dresdensi ciuitate, domicilio illo Venerum ac Gratiarum, virginem sibi petiit genere, opibus, ingenioque ac virtute non minus, quam forma præcellentem, *SUSANNAM BERLICHIA*, insignis viri, *BVRCHARDI BERLICHII*, Hereditarii in Wegfart & Waldersdorff, iureconsulti, comitis Palatini Cæsarei, & consiliarii electoralis Saxonici excellentissimi, generosam sobolem. Cum ea refertam suavitatibus omnibus vitam agens, septem masculos, sexque inferioris sexus liberos in matrimonio hoc susceplos, reipublicæ potuit annumerare: ex quibus duas filias, moribus optimis conspicuas, feliciter elocauit. Majorem natu, *Dorotheam Susannam*, vir consultissimus, *Augustus Fridericus Wernicken*, iureconsultus, & Scabinatus Magdeburgici assessor, itemque archiuarius Magdeburgensis, in matrimonium accepit; alteram, *Barbaram Margaretam*, vir nobilissimus, *Ernestus Flörcken*, iurium apud nos Doctor & practicus. Conceptam de reliquis filiabus spem interuertit festinatæ mortis acerbitas: sicut & tres filios sustulit; superstibus de cetero illuc prouectis, vt aut inseruire iam queant reipublicæ, partimque fruantur pretio laborum, aut indolem & conatus præ se ferant, paternæ exempla magnitudinis promittentes. Nam *Georgius* quidem *Gottlobus*, vir nobilissimus & iurium Licentiatus, consiliarii Hasso-Darmstadiensis dignitate gaudet; *Burchardus Gottbelf*, candidatus academicorum honorum, peregre abest, capessiturus fructum industriæ; *Fridericus Gottliebius* & *Ernestus Gottholdus* in gymnasio Saxo-Hallensi humanitate litterarum optime imbuuntur. Hic fuit ortus, hæc studia, hæc fortuna celebratissimi viri. Corpus ei contigerat firmum, quodque in Iacobo Cuiacio laudatur, quadratum, immensis negotiis par, vsque dum suprema fere hora instaret. Animus bene compositus, constans, iustique ac recti tenax, publici iuuandi cupidus & Dei maxime reuerens: tam præterea impiger ad labores, vt iam tum oneratas longa senecta vires nouis quotidie curis fatigaret, ipsosque in certamen iuuenes prouocaret. Imperatoria prorsus laude vsque adeo sui exactor officii, vt in vicinia iam mortis interesset consultationibus collegarum, & ipse partem negotiorum expediret, solatus suos heroica voce: *ORDINARIUM Iennensem oportere stantem mori*. Non illi fallax atque insidiosum pectus, veleans blanditiis odia, in longumque iaciens; sed sincerum & ingenue amicum, iniurias sapienter tolerans aut generose contemnens. Ingenium fortitus erat non minus ad forum & principum negotia, quam ad academiæ

Be 6890 K

demiæ meditationes sagacissimum, procul superiâcanea subtilitate. Su-  
per omnia iudicium ei rectum ac penetrans, quidnam veri aut falsi re-  
bus inesset, non longæ cogitationis mora, sed ad primum quasi oculo-  
rum coniectum discernens: iuuabaturque & experientia incredibili, ex  
tot annorum vsu; & fidi illa custode ingenii, memoria, in quam alias  
primam ætas incurrit. Iam vero, quem non trahebat admiranda nostri  
vis, in sententiis animi sui, sine ambage verborum, sine nube vlla ex-  
plicandis? quod posterius vel solum interdum ad captandam multitudi-  
nis auram sufficit. In quotidiana tanti viri consuetudine obseruares  
grauitatem sine fastu, seueritatem sine rigore & toruitate inflexibili, af-  
fectus excludente humanos; sed quæ potius singulari quadam & inaffe-  
cta comitate; subinde quoque iucundissimis salibus, vbi locus ferret,  
temperaretur. Verumenimvero cuncta hæc nobis subduxit vna nox,  
vnius momentum horæ, quo illustris illa anima corporeis vinculis solu-  
ta, in tranquillitatem æternam adspirauit. Quinto enim decimo laben-  
tis mensis die, quum vesperi adfuisse, vt diximus, consultantibus colle-  
gis, & ipse etiam, quamquam debilitatis iam ex catarrho suffocatio vi-  
ribus, de causa quadam ad eos retulisset: cœpit derepente infirmior fie-  
ri: deductusque ad suos, postquam & medicus in auxilium vocatus suc-  
currisset labascenti, & ecclesiæ antistes eucharistia, illo immortalitatis  
viatico, moribundum quidem, sed clara voce peccata confitentem, con-  
firmasset, circa horam quartam matutinam placide ac leniter vita hac  
excessit; annis tribus & septuaginta maior, septem & quadraginta libe-  
rorum aut pater aut auus. Ita emensus es, beatissime Senex, mortalitatis,  
tam variis casibus obnoxiæ, curricula, atque ex tristissimæ tempestatis  
hieme, quam horridior indies rerum facies minatur, illuc euasisti, vbi  
æterna vndique gaudia te circumfundunt. Si ingentes viros fortuna  
metiri fas esset, non virtute: tu felicissimus eras prædicandus in his ter-  
ris, cui tot bona contigerant, honores, opes, fama, tot liberi nepotes-  
que, & super hæc senectus sera ac læta. Sed vero quartillum sunt ista tibi  
omnia, cælitum immixto cœtibus? Nostrum deinceps erit, quod vnicæ  
adhuc possumus, tuas insignes virtutes & admirari candide, & creditæ no-  
bis pubi in exemplum propositum ire. Vestræ enim res quoque agitur,  
o nostri, vobis hæc tam copiose sunt memorata, vt non tantummodo  
frequentes prosequamini funus, prima pomeridiana hodie deducendum;  
sed quæ defunctus præclara posteritati vestigia reliquit, impigre prematis,  
quotquot vestrorum veram ad laudem contendunt. Reputate, non  
vnius aut alterius anni disciplina & experientia opus esse, vt virtus vl-  
la euadat magna ac nobilis, sed parcendum somno, parcendum Lyæo,  
abrumpendæ voluptates, refugiendum ab omni morum vilitate, cælesti-  
que ductu & auspicio enitendum est, vt dici possit: ODI profanum  
vulgus & arceo. Saluete ac valete, quodque vestrarum partium est, re-  
uerenter exequimini. P. P. in Academia Ienensi, D. XXVII. Decem-  
bris, M DC XCII.

1077

mc



FK. 68.

X 2125417

Z e  
6890

PROGRAMMA  
IN FINE R E  
MAGNIFICI ATQ V  
V  
GEORG  
STR  
-AGA

Hereditarii in VVanzlebe  
fulti, consiliarii Saxonici, vt  
illusterrimi tutelaris quon  
facrique Consistorii præsid  
ris, itemque Curiæ prouin  
tis iuridicæ & Scabinatus  
rimi, totius

d. XVI Decem

PLACID



Literis IO. ZACH. NISI.

